

cuisse scribit Epiphanius lib. 3. aduers. Hæres. maximè contra Collyridian. ii Error. Animarum humanarum in alia corpora reuolutionem & μετασώματων defendit. Quod ex Platoniorū & Pythagoreorum somniis profectum est. Vnde proculdubio falsa est illa quorundam Scholasticorum sententia, Potest anima quæ separatur à corpore vno, perficere aliud. Cōfirmat enim hæc ratio αλλήλων γενεσιαν, & oppugnat resurrectionem. 12 Bella denique omnino damnauit tanquam mali dei opus, nec ea putat licere magistratui Christiano gerere vlla ex causa: nec homini pio tractare & gestare arma. Quod Anabaptistæ retinuerunt. Atque hæc ferè sunt venenata hominis tela, & flatus huius serpentis pestilentes aduersus orthodoxam fidem.

3 Sed Eusebii.) Locus Eusebii est libr. 3. Histor. Ecclesiast. cap. 13. Et facit Theodoretus hunc Synerum discipulum Marcionis lib. 1. de Fabul. Hæreticorum.

 CAPVT XXIII.

Apellitæ cur dicti. Erroris autem eorum capita tria recensentur.

Apellitæ sunt quorum Apelles est princeps, qui duos quidem introducit deos, vnum bonum, alterum malum, non tamen in duobus diuersis, aut inter se aduersis esse principis: sed vnum esse principium, Deum scilicet bonum, & ab illo factum esse alterum, qui cum malignus esset, inuentus est in sua mundum malignitate fecisse. Hunc Apellem dicunt quidam etiam de Christo tam falsa sensisse, vt diceret eum non quidem carnem duxisse